



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Feriâ tertiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

sect. 1. num. 1. In secundo sensu, sive de bona voluntate activa, intelligemus ferè toto hoc Adventu. Invocemus Spiritum Sanctum & Virginem salutemus. AVE.

Ingressus sit ex Procemii num 1. & 2. ubi dicitur generatim de Bona Voluntate, cujus bonitas existit ex applicatione cum divina. Tum subdatur de Tractatûs illius Suavitate & Utilitate: qua de re aliquid habes in præfatione ad lectorem. Et certè ipsa multitudo Tractatorum & Scriptorum ea de re ostendit satis ejus utilitatem. Scripsere Chrysostomus, Salvianus, Prosper libros de Providentia. Jam recentiores quàm multi? Quid de veteribus, Seneca, Epicteto &c. Merces bonas esse argumento est emptorum multitudo, si sunt intelligentes. Ita Sermonem de Providentia, de Conformitate, de Resignatione, de Bona Voluntate, quæ variis nominibus eadem sunt, esse publicè privatimque utillimum, vel inde patet quod tam multi tractaverunt.

Eum igitur & nos ut Deus dederit, deducemus. Subde quæ in procemio habentur à num. 6. usque ad finem. Prætereundi enim 3. 4. 5. qui aliis diebus erunt usui.

### FERIA TERTIA.

**T**HEMA. *Gloria in excelsis Deo.* Luc. 2.

Ponendum primum fundamentum: esse Providentiam: prout habes part. 1. sect. 1. ad

NUMERO

numerum usque decimum. Cùm enim sit in superioribus numeris valdè densa materia, & operæ pretium sit eam bis tractari: reliqua commodè reservabitur ad Dominicam Adventus tertiam.

FERIA QUARTA.

THEMA idem,

Fundamentum alterum totum ex sect. 2. partis ejusdem.

FERIA QUINTA.

THEMA. *In terra pax hominibus.* Luc. 2.

Fundamentum tertium totum ut habetur sect. 3. partis ejusdem. Si tamen contingeret Adventum ita longum esse, ut materiæ non viderentur suffecturæ: commodissimè dividetur hoc Fundamentum in conciones duas, ut prima sit de cura hominum generatim, altera de cura proborum à num. II. ad finem.

DIE S. ANDREÆ.

THEMA. *Venite post me* Mat. 4. Describitur nobis hodie in Evangelio altera D. Andreæ vocatio. Prima fuit ad sequendum, hæc ad cognoscendum. Itaque tantùm habemus hîc, quomodò vitam meliorem D. Andreas incæperit. In eo tamen initio video finem optimum, significatum mysticis illis vocibus, *Venite post me*. Sicut enim cùm Christus dixit Petro ad mare